

non apertis foribus, ut introiret. Ita nupèr surrexerat nondum
revoluto lapide; ita non effracto utero virginali, mater eum μεγά-
λων ἀπεδίκατο κόλπων. Hæc & plura Mountacutius. Augusti-
nus etiam de hoc talia habet lib. de agone Christ. c. 20. Non moveo
at nos, quod clausis ostijs subito eum apparuisse discipulis scribitur,
ut propterea negemus, illud fuisse corpus humanum, quia contra na-
turam hujus corporis videmus illud intrare per ostia clausa. Omnia
enim possible sunt apud Deum; Nam & ambulare supra aquam,
contra naturam hujus corporis esse, manifestum est, & tamen non
solum ipse Dominus ante passionem in eâ ambulavit, sed & Petrum
in eâ ambulare fecit. Ita ergo & post Resurrectionem de corpore
suo fecit quod voluit. Si enim potuit ante passionem illud splendori
solis equare; Matth. 17, 2. cur non posset post Resurrectionem,
ad quantam vellet subtilitatem, in temporis momento redigere, ut
per clausa ostia posset intrare.

¶ 13. Fuerunt quinque apparitiones Christi, quæ ipso
primo Resurrectionis die ordine enumerato contigerunt. Se-
quuntur quinq; aliæ, inter definitum diem & diem Ascensio-
nis intercedentes, quarum prætereâ mentionem injiciunt E-
vangelistæ, & ex parte D. Paulus: Non quidem ut statuere-
mus, toties tantum Christum apparuisse post Resurrectionem,
cum per quadraginta illos dies sæpius cum Discipulis sit con-
versatus, & multa alia signa in conspectu eorum tecerit, quæ
tamèn non consignata sunt, attestante Johanne cap. 20, 30.
Conf. Act. 1, 3. Sed quia illa in tota historiâ Evangelicâ tan-
quam argumenta hujus rei certissima descripta nobis propo-
nuntur, ut fidem ei majorem habeamus. Apparuit autè Chri-
stus, (6) Discipulis denuò post octiduum eodem in loco congregatis,
in gratiam cum primis Thomæ, qui in præcedente apparitione
absens, etsi reliquos Discipulos ob Christum ex mortuis redu-
cem singulari gaudio gestientes videbat & audiebat, tamen il-
los phantasmate aliquo ludificatos suspicatus, negaverat se
crediturum, nisi testibus oculis suis, ac ne oculis quidem suis
fidem habiturum, nisi conspectis in manibus ejus clavorum
recentibus vestigiis, manu quoque lateri Jesu lanceâ vulnera-
to admotâ, deprehenderet rei veritatem Joh. 20, 26. & seqq.
Id